













1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.





1700.

1. <sup>a, b, c</sup> Beyerus, Georgius: De concubitu intra  
tempus luctus . . . . .
2. Burchardus, Johannes: De officio humanitatis  
morsibus exhibendo.
3. Emdel, Christianus Maurus: De usu historiarum natu-  
ralis orationis. geographicæ in medicina.
4. Gumprechtus, Johannes Paulus: De obligatione hominis  
erga patriam.
5. Thigius, Godefridus Nicolaus: De veterum in Algeriâ  
piscari, cum modernis jure aggrahandi.
6. Mayer, Jo. Jacob: De ἀδικία in moralibus.
7. Moertinus, Christianus Godefridus. An et quatenus filii  
familias Senatus Consulto Macedonio utentes,  
liberi sint in conscientia?
8. Anders; Maurus Augustinus: De diaconibus mi-  
nistriæ ecclesiæ



9<sup>o</sup> Schreiterus, Christophorus: Utrum ille, qui sub  
presente alicujus juris bona quaedam a defuncto  
hactenus possessa iacente hereditate occupat, in  
iudicio possessionis sit preferendus haeredi possesso-  
ris defuncti. 2. Sumpl.

10. Sommerdaerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes  
juris feudalis ad lucubrations j. R. Insuperatibus XII.  
De fine et effectu feudi quoad dominium.

11. Sommerdaerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes  
juris feudalis ad lucubrations j. R. Insuperatibus X.  
De feudali praescriptione

12. Sommerdaerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes  
juris feudalis ad lucubrations j. R. Insuperatibus XI.  
De successione feudali

13. Sommerdaerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes  
juris feudalis ad lucubrations j. R. Insuperatibus VII.  
De effectu feudi quoad vasallum.





1700.

14. Lindenboerfferus, Barthol. Lenharus: Amulatiois  
juris feudalis ad luentationes J. R. Praetores XIV.  
de rebus feudibus.

15. Widdlingius, Christianus: . . . Controversiae juris  
publici Rom. Germanici Constitutionem illustrantes

1701.

1. Meit, Gottlob: Fundamenti legis naturalis brevis  
evolutio.

2. Barthius, Gottfriedus: De successione foeminarum  
in feudis, earumque exclusione per masculos.

3. Hoepfer, Tobias: Num ecclesiarum liceat  
gerere capillamentum?

4. Mendel, Lucidius: Programma, quo ad ventile-  
tionem publicam Disputationum XVIII ecclesiarum

Controversiarum selectarum juris civilis . . .  
suscipiendarum . . . juris studiorum innotat.



174.

5. Mendenius, Ludovicus: De consuetudinibus parentum  
inter Liberos in privilegio conditis.
6. Ritter, Andreas: De juramentis, quae falso h  
tus non obligantia
7. Schmidtus, Johannes: De coronis casibusque imp  
mris in sacrificiis usu.
8. Schmidt, Sr. Ludov: De silentii moralitate.
9. Sventen Daerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotatio  
juris feudalis et lucubrationes J. R. Praeceptoris  
De contrariis feudi
10. Sventen Daerfferus, Bartholomaeus Leonhardus: Annot  
latiores juris feudalis et lucubrationes J. R.  
Praeceptoris XVI: De iudicio feudali.
11. Weidlingius, Christianus: De testamentis, quae pa  
rentes in privilegio Noo 107. inter Liberos suos con  
dere possunt.



B. C. D.  
Annuentę Inclyto Jctorum Lipsiensium  
Ordine,

DISSERTATIONEM JURIDICAM  
DE

CONCUBITU  
INTRA TEMPUS  
LUCTUS,

Hom Bepfchlaff in wahren=  
der Trauerzeit/

Sub Præsidio

*VIRI Pranobilissimi atq; Consultissimi*

DN. D. GEORGII BEYERI,

*Præceptoris atq; Studiorum suorum*

*Promotoris atatem devenerandi,*

publico Eruditorum Examine

add. XI. November. MDCC.

H. L. Q. C.

exponet

CHRISTOPH. GOTTLÖB FREYBERG,  
Stolp. Misn.

---

LIPSIÆ, Excudebat Christianus Scholvinius.

1 28  
33  
1700, 11 a





250

Amend. in 10 Journal. 1788

Ordin.

DISSERTATIONEM HELDRAVI

CONINGBRIU

INTRA TEMPS

LUCTUS

DE REPTA IN REPTA

DE REPTA

subscribo

M. D. G. B. O. G. I. L. B. Y. E. R. I.

Præceptoris ete. studiorum program

in die 21. Novembris MDC.

1788

M. D. G. B. O. G. I. L. B. Y. E. R. I.

CHRISTOPH. T. O. S. FREYBERG

scribo

Christoph. Freyberg Christianus Scholasticus





C A P. I.  
*De Luctu in genere.*

SUMMARIA.

- §. 1. *Ingressus.*
- §. 2. *Quid lugere, elugere, prolugere.*
- §. 3. *Luctus quat. agritudinem animi denotat, non subest legibus civilibus.*
- §. 4. *Neque vestes lugubres.*
- §. 5. *Neque abstinentia a conviviis.*
- §. 6. *Sed abstinentia a Venere, & quatenus?*
- §. 7. *Saltem ob mortem conjugum.*
- §. 8. *An jus natura spatium luctus prescribat?*
- §. 9. *An lex divina positiva?*
- §. 10. *Respondetur ad 1. Tim. V. v. 11, & 12.*
- §. 11. *Quid moribus Hebraorum?*
- §. 12. *Græcorum?*
- §. 13. *Spatium luctus ex legibus Regiis.*
- §. 14. *Ex LL. XII. Tabb.*
- §. 15. *Ex edicto Pratoris.*
- §. 16. *Ex Constitutionibus Imperatorum.*
- §. 17. *Ex priscis Germanorum legibus.*
- §. 18. *Ex Jure canonico.*
- §. 19. *Ex juribus hodiernis.*
- §. 20. *Tempus hoc continuum est, & quomodo?*
- §. 21. *An locus dispensationi?*
- §. 22. *An viduus lugere teneatur?*
- §. 23. *An sponsa?*
- §. 24. *Cur in rationes temporis luctus inquirendum.*
- §. 25. *Ratio prima: turbatio sanguinis.*
- §. 26. *Secunda: periculum embryonis.*





§. 27. & 28. Tertia: reverentia marito debita.

§. 29. Ratio Jac. Gotbofredi examinata.

§. 30. Brevis repetitio dictorum.

§. I.



Assilienses nationem Gallicanam corporibus defunctorum ad sepultura locum plaustro devectis sine lamentatione, sine planctu funeris diem domestico sacrificio adjectoque necessariorum convivio transigisse testis est *Valer. Max. L. 2. c. 6. §. 7.*, etenim quid attinet, inquit, aut humano dolori indulgeri, aut divino numini invidiam fieri, quod immortalitatem suam nobiscum partiri no-  
luerit? Ulterius adhuc progressi Trausi Thraciæ accola recens natos lacrymis & ploratu, fato vero functos lætitia & lusu prosequabantur, prout ex Herodoto, Pompon. Mela, Cicerone aliisque discimus, vid. *Henric. Salmuth. de natalitio veterum ritu, in princip. Kirchmann. de funerib. Rom. Lib. 4. c. 10.* de quo instituto ita judicat *Valer. Max. L. 2. c. 6. §. 12.* nationem istam sine ullis Doctorum præceptis verum conditionis nostræ habitum pervidisse. Contra hunc morem, si ex metu malorum temporalium oriatur, recte argumentum ignaviæ vocat *Becman. in conspect. Polit. cap. 9. p. 47.* interim eum a primis Christianis, sed diversa ex ratione servatum probat *Arnold in der Abbildung der ersten Christen L. VI. c. 6. §. 4.-10.* in primis vid. *§. 8. & 10. in fin.* gaudebant nempe, mortuum ex carcere peccatorum liberatum & ad libertatem Salvatoris natum esse. Add. quæ plura patrum loca affert *Polyd. Vergil. de rer. invent. Lib. VI. cap. 10.* Cum tamen luctus hodie apud omnes gentes etiam Christianorum nomine gaudentes non decorus solum, sed & necessarius



sarius credatur, de ejus origine & jure paulo altius dispiciendum est.

§. 2. Nihil vero agimus, nisi circa ipsius rei conceptum conveniamus. Luctus vocabulum a verbo *Lugere* descendit, quod idem est, ac mentis mœrorem variis signis, vestitu, voce, incessu, gestu declarare. Hinc verba composita: *elugere* seu tempus præfinitum luctui explere, vel luctum perficere, *Guther. de Jur. Man. Lib. 3. c. 28. prolugere*, seu tempus luctus consuetum ampliari & producere. Itaque luctus definiente Cicerone est ægritudo animi ex ejus, qui carus fuit, interitu acerbo, *Cic. IV. Tuscul. cap. 8.* quæ negligentiori cultu corporis, abstinentia a lætitiis & voluptatibus, imprimis a Venere; aliisque signis proditur. Luctus nempe proprie dictus non in vestitu extraordinario, non in abstinentia terminatur, sed in perturbatione & mœrore animi, cujus illa saltem indicia sunt. Licet fere vulgaris persuasio & mores contrarium ferant.

§. 3. Inde prima & quasi præjudicialis quaestio, an luctus, quatenus animi ægritudinem & dejectionem notat, legibus humanis subjectus sit? quod omnino negandum videtur, cum in potestate nostra non sit ad lubitum legislatoris metuere, gaudere, angere, dolorem vel tristitiam concipere. Tales affectuum impetus, uti invitis obveniunt, ita nec arcessi nec ejici ad nostrum vel alterius arbitrium possunt. „*Senec. Ep. 63.* nunc ipse custodis dolorem tuum, sed custodiendi quoque elabitur, eoque citius, quo est acrior, desinit. Deinde non adest materia legi ferendæ idonea, quia de transgressione tanquam actu mere interno hic nunquam constat. Actibus externis leges feruntur, non internis, & sicut cogitationis, ita internæ animi perturbationis accitæ vel ejectæ poenam nemo patitur *l. 18. ff. de pœn. injustæ* porro essent leges quietem & tranquillitatem animi ma-

A 3

gaum



gnum mortalium Bonum impediens; sed & sine fine talia jubentur; cui enim bono anxietas cordis & quidem „per tantum tempus præciperetur? Apposite *Seneca Ep. 64.* quam mihi ex mulierculis dabis, cui lacrymæ in totum mensem duraverint? nulla res citius in odium venit, quam dolor: qui recens consolatorem invenit, inveteratus vero deridetur. Nec immerito: aut enim simulatus, aut stultus est. Quod si dicas: non mortem lugeri, sed mortis causam, peccata; Ita vero semper lugendum erit; neque talis luctus legibus humanis juberi vel determinari potest. Haud abs re *Plutarchus Lib. XII. de Tab.* „Fleri mortuum jubere aut vetare absurdum; plangere vero & voces & lamenta extra ædes mittere vetandum. Scilicet jubere leges possunt, ut actus exteriores ex affectuum impetu provenientes, quatenus subsunt arbitrio agentis, coercerentur, unde pleræque quas de luctus interni signis deprehendimus Leges, prohibitivæ sunt.

§. 4. Vestes lugubres & cultus domesticus, quem *tristia signa* Ovidius appellat, hodie ad decori magis quam ad justitiam conceptum pertinent, & sollicitè satis observantur citra legis præceptum, postquam in ambitionem abierunt, & haud multo plures in ornatu sponsalicio quam funebri vanitates conspiciuntur, quibus coercendis nullæ leges sumptuariæ sufficiunt. Talem vero lugubrem cultum legibus præcipi cum ratione non posse puto, quia luctus ipse, cujus indicium lugubria sunt, præcipi nequit; & ineptum esset juberi luctum simulatum, vel lugubria sine luctu, sine nucleo corticem. Interim apud Romanos lege cautum videtur, ut sumantur lugubria; notus est *Pauli locus Lib. 1. recept. sentent. tit. 21. §. 3.* Qui luget, abstinere debet a conviviiis, ornamentis & alba veste. Et teste Imp. Gordiano *l. 15. C. ex quib. caus. infam. irrog.*



*irrog.* Senatus Decreto nonnunquam foeminis tristior habitus ceteraque hoc genus insignia remissa fuerunt; quamvis hunc textum generaliter intelligendum, & lugubrium necessitatem hic plane obrogatam magis putent alii. Sed quicquid hujus rei fuerit, superstitioni ethnicae tribuendum videtur, ut placarentur manes, quibus & inferias statis diebus fieri necesse erat. *Pratej. Jurispr. Vet. in leg. Solon. 63.* Firmat hanc conjecturam locus Apuleji allegatus *Kirchmanno de funer. Rom. L. 4. c. 10. p. m. 414.* ejusque superstitionis reliquia, postquam Imperatores Christo nomen dederant, supermanserunt, quo refero effatum *Impp. Grati- ani, Valent. & Theodosii in L. 1. C. de secund. Nupt.* Si qua mulier priori marito luctus religionem nuptiarum festinatione nequaquam praestiterit, infamis esto.

§. 5. Idem de abstinentia a rebus laetitiam excitantibus, v. g. de non frequentandis conviviiis nuptialibus aliisque congregationibus, ubi musica instrumentalis auditur vel saltatur, dicendum puto. Licet enim talia prohibere Imperans possit, & in luctu publico musicam instrumentalem prohibere soleat; in domestico tamen luctu neq; prohibuit, neque cur prohiberet, ratio sufficiens reddi potest. Interim qui sub peplo rident, ludunt, jocantur & saltant remotis arbitris, vultu tamen, simulac in publicum procedunt, ad tristitiam composito extortas invitis oculis lacrymas & ignota cordi suspiria ostentant, ne abjecti animi videantur, quando ad vulgi mensuram gemitus suos & angoris speciem non componunt. Eousque invaluit autoritatis praedictum. Eleganter *Seneca Epist. 63.* „per lacrymas dolorem non sequimur, sed ostendimus. Nemo tristis sibi est. O infelicem stultitiam! est aliqua & doloris ambitio. *Et Epist. 99.* „plus ostentatio doloris exigit quam dolor.

§. 6. Abstinentia a Venere eatenus ob luctum prohibetur,



tur, ne quis novam conjugem adsciscat, non vero ne cum conjugem, quam habet, cohabiter. Neque in luctu publico talismodi abstinencia jubetur, neque in luctu domestico ob mortem parentum, cognatorum. *l. 11. ff. de bis qui not. infam. l. 23. eod.* quem textum a *Wissenbachio in Emblem. Tribonian. p. m. 17. seqq. Cujacio Observat. Lib. 21. c. 12. Gutherio de Jure Man. L. 3. c. 28. & Kircbmann. de funer. Rom. L. 4. c. 10.* interpolationis non recte argui contendit *Huberus in Evnom. Roman. ad d. l. 23. p. 144.* Solet vero hodie ad usque finem primi mensis a die mortis parentis &c. differri consummatio matrimonii (quod idem apud Hebræos obtinuisse colligitur *ex Deut. XXI. 13. add. Kircbm. de funer. Rom. Lib. 4. c. 10. p. 409.*) & remoto ornatu festivali, remota musica instrumentali celebrari.

§. 7. Conjugum obitus est, qui novas nuptias impedit & elugere conjugem jubet, quod in vidua omnium opinione certum est, tot legibus infra allegandis id requirentibus; viduum vero elugere non teneri non minus constans olim sententia fuit; nostri tamen mores viduo semestri spatium, quo defunctam uxorem elugeat, tribuunt, de quibus institutis eorumque origine & justitia distincte videbimus.

§. 8. Jure naturæ spatium aliquod viduo præscribi, per quod a morte uxoris a novo matrimonio abstineat, dici non potest. Si enim eo jure viventi uxori aliam superinducere potest, quidni posset jam defunctæ? Prioris vero veritatem evincunt, quæ habet *Dn. Thomasius in Juris pr. div. Lib. 3. c. 2. §. 200.-213. & disp. Lips. VII. §. 23.-36.* Imo cum nec poliandria eo jure illicita sit, prout *Idem dd. ll.* satis firmavit, viduam quoque a novis nuptiis nullo tempore arceri putamus, sive utrum gesserit, sive non.

§. 9. At quid ex Lege divina positiva universali statuendum sit, nondum apud omnes certum est, nec pro-

posi-





positum patitur multorum sententias hic recensere; putamus polygamiam simultaneam virilem & muliebre[m] Jure divino revelato prohiberi. add. En. Thomas, *dict. disp. Lips. VII. §. 37. - 44. & Jurispr. Div. L. 3. c. 3. §. 76. - 93.* verum inde ad festinat[is] nuptias post conjugis obitum non valet consequentia, neque enim certum est, an Deus in fidei violatione, an in unitate numeri, an in feminis ita dicta confusione &c. rationem prohibitionis collocaverit. Viduo tale quid, ut per certum tempus a secundis nuptiis absteat, injungit neque lex diserta neque legis argumentum vel indicium. Viduam, si certum sit, pragnantem non esse, nihil est, quod arceat; subest enim legi Mariti quamdiu Maritus vivit, si vero obdormiverit Maritus ejus, libera erit, cui voluerit nubere, modo in Domino. Et quæ vivente marito mœcha vocatur, si fiat alterius viri; mortuo marito mœcha non est, si uxor alterius fiat. *Rom. VII. 2. 3. 1. Cor. VII. 39.* Quamque hic objiciunt reverentiam priori marito debitam, ea quin cum sequenti matrimonio stare possit, nihil impedit, an enim odisse oportet defunctum, postquam successit alius? & quidni grata illius etiam inter hujus complexus recoli possit memoria? Quod si pragnans sit vidua, vel nondum constet, an prolem ex defuncto marito conceperit, nuptias jure divino prohiberi ob seminum confusionem constans est opinio. Et licet semina proprie non confundi satis a Medicis hodiernis demonstratum sit, certior tamen & securior nobis videtur sententia prohibitionem asserentium, quia concubitus cum pragnante, præsertim si foemina pragnans eum expetat, non turpis modo & vilis habetur, sed & ad opera carnis toties in sacris prohibita pertinet actus veneris præter intentionem sobolis procreandæ, quam hic fere cessare certum est, susceptus, Cumque multa tolerentur in societate jam constituta, quæ non admittuntur in

B

con-





constituenda; nec ratio subsit, quæ gravidam ante partum editum ad festinatas nuptias pertrahat, vel procul ad desiderium prolis generandæ, antequam partus alienus exclusus sit, impellat. Requirit nempe Paulus Apostolus, ut vidua denuo nuptura nubat in Domino, quod de prægnante novos amplexus desiderante dici nostra quidem sententia vix potest. Exempla Principum qui mulieres prægnantes duxerunt, affert *Wissenb. ad l. 1. C. de secund. Nupt. p. 86.* subjuncto gravi effato *Alberici Gentilis. conf. Cujac. observ. L. 6. c. 32.*

§. 10. Sed quid est, quod idem Apostolus *1. Tim. v. 11. & 12.* dicit: Juniores viduas, quando lascivæ factæ sint contra Christum, nubere velle, sed sententiam habere, quod primam fidem repudiarint? Nihil ibi contra secundas nuptias, nihil pro anno luctus. Jubentur *ibid. v. 14.* nubere, liberos gignere, domum administrare non post annum, sed quando libidinis stimulos sentiant. Quo sensu vero lascivæ contra Christum factæ & primam fidem repudiassent dicantur, colligere licet ex iis, quæ tradit *Ziegel. de Diacon. cap. 19. §. 3. 16. 17. 22. 23. seqq. usque ad 27. & distinctius Crocius Comm. ad 1. Tim. 5. pag. 198. & 200.*

§. 11. Moribus itaque annus luctus originem debet, sed quando primum cœperit, incertum est. Mores hebræorum viduam non per annum, sed per triginta dies vel duos menses a secundis nuptiis removisse diligentissimus rituum Judaicorum scrutator *B. Mart. Geierus de luctu Ebræor. cap. 2. §. 5. & 7.* observat, & vel solum Bathschebæ exemplum probat *II. Sam. XI.* Nupserat ea Davidi postquam præterissent dies luctus, *v. 26.* postea filium adulterinum pariebat, *v. 27.* at eum conceperat, idque Davidi denunciaverat, antequam Urijah ex castris ad Davidem

dem



dem vocaretur, v. s. unde constat nec decem, nec duodecim mensium luctum tunc fuisse. *add. Kirchm. de funer. L. 4. c. 10.*

§. 12. Græcorum mores de annuo luctu nihil habent. De Atheniensibus forte non inutiliter evolvi poterunt *Leges Atticæ à Sam. Petito collectæ, sub finem Lib. VI.* verum hæ ad manus non sunt. *Meursius in Themide Atticæ* quod huc faciat, nihil habet. *Laconum instituta Tab. I. Instit. X. apud Nicol. Cragium de Repub. Lacedæm. Lib. III. p. m. 192.* undenis diebus luctū finiri, duodecimo Cereri sacrificari & luctum desinere volunt. An vero idem ad abstinentiam viduarum tempus suffecerit, ex aliis eorum legibus, quantum memoriæ proditum est non constat.

§. 13. Imprimis hac de re sollicitas Romanorum Leges videmus. Romulum statim sanxisse, ut maritus per annum (qui decem mensium tunc erat) lugeretur, *Kirchmannus refert de funer. Rom. L. 4. c. 10. p. m. 411. & Revard. Lib. I. varior. cap. 20.* sed qua fide, non constat. *Baldwinus* certe, *Pratejus in jurispr. Veter. & Merulada LL. Rom.* qui superstites Romuli leges diligenter collegerunt, nihil habent quod ad rem præsentem faciat, neque alibi hanc Legem Romulo tributam meminimus. Propius huc pertinet, quod de Numa Rege *Plutarchus* refert in *Num. pag. 121. edit. Xylandri. de ao. 1592.* minores triennio pueros, non lugendos; majores natu non plures menses quam, quot vixissent annis, usque ad denarium numerum; itaque longissimum luctus tempus decimo mense terminatum fuisse, ac tamdiu etiam mulieres a morte maritorum viduas permansisse; quod si qua intra decimum mensem iterum nupsisset, eam leges Numæ, vaccam prægnantem immolare jussisse. Licet vero & hanc Legem omiserit *Merula*, de ejus veritate tamen



cur dubitemus, ratio nulla est. Ad eamque Pompilii legem plerique omnes provocant. Interim Förster. de Jurisdict. Rom. P. II. pag. 584. hanc legem rectius Romulo quam Numæ tribuendam putat; quia Romulus annum decem mensium spatium definivit, egregia illatio!

§. 14. Leges XII. Tabb. de luctus tempore nihil habuisse videntur; & qui haberent, cum Græci tantum luctus tempus ignorarent? Interim desuetudine abolitis Legibus Regiis plerisque hæc Numæ dispositio moribus retenta videtur, usque ad edictum pratorium de quo L. 1. ff. de his qui not. infam. ubi spatium luctus vocatur tempus quo elugere virum moris est. Moris esse dici non poterat, si Leges XII. Tabb. hac de re quicquam sanxissent.

§. 15. Pergimus ad edictum Pratoris, quod severe spatium elugendi inculcabat; ita enim L. 1. ff. de his qui not. infam. INFAMIA NOTATUR QUI EAM, QUÆ IN POTESTATE EJUS ESSET, GENERO MORTUO, CUM EUM MORTUUM ESSE SCIRET, (namque ignorantiam non puniri vult L. 8. eod; an ergo non punitur bigamia muliebris simultanea? punitur omnino; & puto in d. l. 8. id inui: si quis citius mortuum & tempus luctus impletum esse putat, ob errorem non puniri: (aliter responder Sobiler. Exerc. ad ff. 10. §. 38. in not. lit. a.)) INTRA ID TEMPUS QVO ELUGERE VIRUM MORIS EST, ANTE QVAM VIRUM ELUGERET, IN MATRIMONIUM COLLOCAVERIT: EAMVE SCIENS (nam ignorantia facti excusat L. II. eod.) QVIS UXOREM DUXERIT, NON JUSSU EJUS, IN CUJUS POTESTATE EST; ET QUI EUM, QVEM IN POTESTATE HABET, EAM, DE QVA SUPRA  
COM-



COMPREHENSUM EST, UXOREM DUCERE  
PASSUS FUERIT. Quantum vero erat tempus,  
quo elugere moris erat? puto decem mensium, cum  
duo menses demum a Gratiano & Theodosio in *l. 2. C.  
de sec. Nupt.* fuerint adjecti, quam sententiam post Cu-  
jacium & Ravardum tuetur *Jac. Gothofred. ad l. 1. C.  
Theod. de sec. Nupt.* qui Emblemata Triboniani in *l. 1. ff. de  
bis qui not. in fam. § l. 15. C. ex quib. caus. infam. irrog.*  
suspiciatur; cum enim utrobique spatium *decem mensium*  
expressum esset, id vero rationi temporum Justiniani non  
conveniret, expuncta ista determinatione illie *tempus  
quo elugere virum moris est*, hic vero *legitimum tempus*  
substitutum fuisse; quæ emblemata *Wissenbachius* non  
observavit.

§. 16. Quod ad Constitutiones Imperatorum,  
Gratianus, Valentinianus & Theodosius tempus luctus  
ampliarunt in *l. 2. C. de sec. Nupt.* quem textum in *l. 1.  
C. Theod. eod. tit.* legimus & referre non pigebit, præ-  
sertim cum vulgatæ editiones pluribus nævis scateant:  
Si qua ex fœminis perduto marito intra anni spatium alte-  
ri festinarit innubere (parum enim temporis post decem-  
menses servandum adjicimus, tametsi id ipsum exigu-  
um putemus) probrosis inusta notis honestioris nobi-  
lisque personæ & decore & jure privetur atque omnia  
quæ de prioris mariti bonis vel jure sponsaliorum vel  
judicio defuncti conjugis consecuta fuerat, amittat. An-  
num itaque integrum hac demum lege constitutum  
constat. Et siquidem in legibus prioribus annus occur-  
rat, de Romuleo, qui decem erat mensium, exaudiendus  
est. Cumque hæc lex tempore Concilii Constantino-  
politani lata sit, non dubitat Gothofredus, eam ex Pa-  
trum Constantinopolitanorum sententia originem tra-





xisse. Idem spatium ætate Justiniani & sequiori ævo  
constanter observatum fuisse videtur, & indicat *Eclog.*  
*Basil.*, *Lib. 28. Tit. 14. cap. 1. p. 279.* ubi ne ante tempus anni-  
versarium ad secundas nuptias convolent, diserte requiri-  
tur. *add. Eclog. Basil. Lib. 21. tit. 2. pag. 230. seq. Lib. 45. Tit.*  
*1. cap. 33. p. 402.*

§. 17. Leges Germanorum priscae nullibi quan-  
tum constat annum requirunt, nisi quod in Legibus *VVi-*  
*figoth. Lib. 3. Tit. 11. cap. 1. apud Lindenbrog. pag. 50.* mulier  
infra annum post mortem mariti se alii jungere sub pœ-  
na amissionis dimidiæ partis bonorum prohibeatur. *Le-*  
*ges vero Longobardica L. 2. Tit. 6. c. 3. apud Lindenbrog.*  
*p. 592. item Capitularia Caroli M. Lib. 4. tit. 17. apud Baluz.*  
*Tom. 1. p. 778. & lib. 5. cap. 106. p. 842. ibid. c. 233. p. 869. Ca-*  
*pitularia Ludovici Pii apud Baluz. Tom. 1. p. 559. num. 4. &*  
passim alibi totidem ubiqve verbis præhibent, ne quis vi-  
duam intra primos *triginta dies* viduitatis vel invitam vel  
volentem sibi copulet, utque qui in vitam duxerit, legem  
suam ei componat eamque ulterius non attingat. ubi no-  
tam marginalem veterem affert *Baluz. in not. ad Capitu-*  
*lar. Tom. 11. pag. 1190.* viduam Longobardicam post XXX.  
dies posse nubere, Romanam post annum. Edictum  
*Theodorici cap. 37.* ad secundas migrare nuptias intra  
annum a morte mariti prohibet; sed hoc ad Italiam spe-  
ctat. Si altius ad Taciti tempora ascendamus, nihil quod  
omnino certum sit inveniamus; lamenta, inquit, ac,  
lacrymas cito, dolorem & tristitiam tarde ponunt. Fœ-,,  
minis lugere honestum est, viris meminisse. Sed ni-,,  
hil exinde, quod ad tempus luctus pertineat, infertur, &  
videntur Germani luctus durationem non ex dierum  
vel mensium mensura ab aliis præscripta, sed ex proprii  
doloris sensu determinasse. Laudat vero alibi Tacitus  
civi-



civitatēs nonnullas Germaniæ, in quibus tantum virgi-  
nes nubunt & cum spe, votoque uxoris semel transi-  
gitur, sic unum (pergit) accipiunt maritum, quomo-  
do unum corpus, unamque vitam, nec ulla cogitatio,  
ultra, nec longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed  
tanquam matrimonium ament. Et penes has frustra,  
quæsitum fuit, quo tempore denuo nubere possint.

§. 18. Jus Canonicum alibi probat spatium lugendi,  
*can. 2. sub fin. caus. 3. Q. 7.* alibi rejicit. *can. 7. caus. 2. Q. 3.*  
ibi: *Quod etiam* (scil. infamiam non irrogari) fateri co-  
gimur de ea, quæ intra tempus luctus nubit; cum ma-  
trimonia hodie regantur jure poli, non jure fori; & ju-  
re poli mortuo viro mulier soluta est à lege Viri; nu-  
bat cui vult. Idem repetitur *cap. 4. & 5. X. de secund.*  
*Nupt.* Verum ipsos saniores Jure Consultos Pontificios  
hanc opinionem detestari ostendit *Prückner. Decis. Ma-*  
*trim. cap. 15. n. 23. 23* Mihi duæ quæstiones separandæ  
videntur: an annus luctui viduarum præcise sit præfi-  
gendus? (2.) an Pontifex dicta Apostoli legibus ci-  
vilibus recte opponat eaque auctoritate sanctiones pœ-  
nales legum civilium adversus præmaturas nuptias abo-  
leat? Ultramque negamus, licet vulgo forte quoad prio-  
rem aliter sentiant, quoad posteriorem vero nostras fa-  
cimur rationes *B. Ziegleri ad Lancellot. L. 2. T. 26. §. 26. &*  
*Bruckneri in Decis. matrim. d. l.* Poterat Pontifex in ter-  
ris suis, si quas habet, abolere pœnas; sed Autoritas A-  
postoli per cavillationem hic prætexenda non erat & extra-  
territorium leges ferenti impune non paretur.

§. 19. Itaque de Legibus & moribus hodiernis  
videndum est; ubi *ordinatio matrimonialis Elect. Sax. de*  
*no 1624. §. fin. in Corp. Jur. Sax. p. 468.* ita disponit: De  
viduis & viduabus ad secundas nuptias transituris,  
compe-



comperimus, quosdam præmortuorum conjugum, cito nimis oblivisci & non absque scandale ad matrimonium properare; quod cum honestati & obligationi naturali adversetur, sancimus, ut viduus minimum per tempus *semestre*, vidua vero per *annum integrum* luceat neque ante ejus temporis decursum ad secunda vota procedat, nisi ex propria nostra & speciali dispensatione. Idem tempus in *Ordin. Eccles. Coburg. p. m. 335. seqq.* determinatur, nisi quod viduis maribus iis tantum, qui liberis tenellis educandis vel diffusa œconomia regenda occupati sunt, semestre permittat, quo etiam collimat *Ordin. Provinc. Goth. P. 1. p. m. 75. Ordin. Eccles. Duc. Magdeb. Cap. 10. §. 9. pag. 52.* In Electoratu Palatino, Principatu Selvestano & ab Evangelicis Erffurtensibus, Viduis Maribus *sex*, Foeminis *novem aut decem menses* ad eluendos conjuges præscribi testatur *Brückner. in Decis. Matrim. c. 15. n. 37. & Schöpfer. de statu viduit. mutat. p. 1. c. 3. n. 27.* Idem tempus in viduabus per statuta Frisica observari; viris vero honestatis causa temporis alicujus moderati abstinentiam commendari, non injungi, prodit, *Huber. in Eunom. Rom. ad l. 1. n. 7. & ad l. 9. ff. de his qui not. infam.* Jure Würtembergico Luctus utriusque sexus intra *semestre* coërcetur. *Brückner. d. l.* Quod idem tempus moribus Hollandicis aliisque in viduabus servari asserit. *Simon van Leuven. Censur. Forens. P. 1. L. 1. C. 14. n. 28.* Quin id ubique fere in praxi obtinere & ita judicatum esse, testes Anton. Fabrum, Boërium, Gailium, & Jacob Coren. affert. Ipsas ordinationes & constitutiones aliquot, Delphensem nempe, Amstelodamensem & Genevensensem allegat *Simon a Grænvvegen, de L.L. abrog. ad l. 1. C. de sec. Nupt. & idem in Gallia observari ex Bugnon. Autumno, Charonda adstruit, excepta Tholosa, ubi annus integer*



integer explendus est. Dordraci & Middelburgi *quatuor menses cum dimidio* sufficere testatur *Græne vv. d. l.* per constitutiones vero Noribergensem & Rorenburgicam *trimestre* spatium servari refert *Brückn. d. l.* Statutum Noribergense integrum exhibet *Rittersb. Differ. Jur. Civ. & Canon. L. 1. C. 5.* Apud Anglos luctum triginta diebus finiri testis est *Polydor. Vergil. de rer. inventor. L. 6. cap. 9.* per jocum asserens: si Numæ institutum, ut subito nupta vidua vaccam prægnantem immolaret; observaretur rarissimos in Anglia vitulos futuros. Plures Leges Provinciales conquirere angustia temporis prohibet.

§. 20. Tempus vero luctus, quantum quantum fit, *continuum* est, tum ratione *initii*; siquidem non a die scientiæ demum sed statim a die mortis incipit & ignorantia currit; unde mulier, quæ mortem mariti post tempus legitimum comperit, eadem die lugubria sumere & deponere, vel secundum mores hodiernos vestitum lugubrem plane omittere & statim nubere potest. *l. 8. ff. de his qui not. infam.* Tum ratione *curfus*; nulla hic dies excipitur, prout omnes rationes inferius exponendæ evincunt; & omne tempus regulariter est continui cursus, nisi præfiniatur actui, qui non omni die perfici vel suscipi potest. Luctus vero potissimum in omissione consistit, & actus positivos nullos requirit, nedum tales, qui saltem diebus juridicis peragantur. Sed non ratione *termini*, i. e. Ultima dies cœpta habetur pro completa neque prohibitio usque ad extremum momentum decurrit. Ita non puto puniendam, quæ, ubi verso anno dies conjugis emortalis recurrit, ante meridiem nuptias celebrat, cum sub vesperam maritus obiisset. Nullum quippe hic tertii præjudicium, quale in restitutione in integrum, in præscriptionibus & alibi versatur; & quæ rati-

C

ones



ones vesperi non illicitum conjugium faciunt, mane quoque non improbabunt. Deinde poenæ satis acerbæ huic delicto non ita tetro impositæ merito restrictivam interpretationem requirunt. Non obstant verba *Ordinationis Matrim. Saxon. supra. §. preced.* allata; voluit enim Serenissimus Legislatoꝝ, ne *nimis mature* nubant, neque argumentum ex aliorum moribus tempus brevius admittentibus capiant; Et annum integrum semestri opponit. Sed esto, requiri annum integrum; dies cœpta hic pro completa habebitur, uti alias sæpe, *l. 1. ff. de manumiss. l. 5. ff. qui testam. fac. l. 15. ff. de divers. & temporal. prescript. Barbosa. Thesaur. axiom. Lib. 4. cap. 26. in fin.*

§. 21. Succedit quaestio, an dispensationi hic locus sit? Quod, excepto casu viduæ uterum gerentis, affirmamus, quia nihil contra legem divinam admittitur. Sed ea non semper uti voluerunt Principes; Theodosius, *in l. 2. C. de secund. Nupt.* expresse denunciat: *Et sciat (vidua scilicet ad nuptias festinans) nec de nostro beneficio vel annotatione sperandum sibi esse subsidium.* quæ verba Tribonianus expunxit & ad juris veteris rationem reflexit, quæ solèbat a Principe impetrari, ut intra legitimum tempus mulieri nubere liceret, *l. 10. ff. de his qui not. infam.* Ita *l. 4. C. ad SCTUM Tertul.* Viduæ liberos non habenti infamiam irrogat, nisi ejusmodi maculam imperiale beneficium remittat. Quæ constitutio iisdem Imperatoribus, Gratiano, Valent. & Theodosio autoribus biennio ante supra allegatam legem *2. C. de sec. Nup.* lata, sed quoad dispensationem abrogata, demum a Justiniano in usum revocata etiam post ejus obitum perstitit. Exempla prisca dispensationis ex *Jac. Gotbofred. Comm. ad l. 1. C. Theod. de sec. Nupt.* petere licet. Denique *in Ecloga Basil. Lib. 21. Tit. 2. cap. 5.* Jussu Principis mulierem intra tempus lu-

Etus



Etus nubere posse disponitur. Ita in *LL. Wisigotb. Lib. III. Tit. 2. l. 1.* Illæ tantum viduæ a pœnis ibi sancitis & Legis prohibentis sententia indemnes manere jubentur, quas Principalis autoritas infra tempus constitutum cuilibet in conjugio decreverit copulandas. In ordinationibus quoque matrimonialibus hodiernis plerumque casum impetratæ dispensationis excipere solent Principes; prout ex *Ordinationibus Electorali Saxonica & Gotbana supra § 19.* relatis videre licet.

§. 22. Quoad lugentem *VIDUUM* mores Hebræorum, quod mireris, multo severiores, quam circa viduam reperiuntur; siquidem cui demortua est uxor, si jam adimplevit præceptum; crescite & multiplicamini; habeatque qui sibi ministrent, neque sint ipsi liberi tenelli, prohibetur uxorem ducere aliam, donec transierint tria festaj, majora annua. Verum qui nondum præcepto multiplicationis satisfecit, vel qui satisfecit quidem, habet tamen liberos tenellos, vel non habet, qui sibi ministrent; ecce huic permissum desponsare sibi aliquam, atque e vestigio ad se recipere; quanquam prohibitum sit maritaliter eam accedere ante diem trigesimum, refert ex Maimonide *Geier. de luctu Ebr. cap. 2. §. 7.* Plane aliter Leges Romanæ: Uxores viri lugere non compellantur; *l. 9. ff. de his qui not. infam.* ubi recte *Gurberius de Jure Manium L. 3. c. 28. p. 581.* pro, *lugere legit: elugere*, ut is prodeat sensus: Viris nullum legitimum tempus, quo uxores elugeant, constitutum est; lugent tamen secundum pietatis suæ rationem. *Causas hujus legis pro more suo succincte & clare proponit Wissenbach. Comment. ad l. 2. C. de sec. Nupt.* Vir non turbat sanguinem; non debet uxori reverentiam: nomen ab uxore non tenuit. Quod vero *Seneca Epist. 64.* Viris nullum legitimum tempus esse dicit, quia nullum honestum



est, id ex Stoicis principiis & oratorie magis quam philosophice dicit, non secus ac præcedentia: Fœminis annum, constituisse majores, non ut tamdiu lugerent, sed ne diutius. Nec probabilia satis sunt, quæ pro excusando Seneca affert *Neuvenhan de Jur. viduit. num. 3. sect. 17. p. 147.* Apud Germanos fœminis lugere honestum fuisse, viris meminisse, teste *Tacito* supra vidimus. Quantum vero hodie tempus luctui eorum præfigatur, supra ex §. 19. repetendum est.

§. 23. Sponsi luctum nullum esse legimus in *l. 9. ff. de his qui not. infam. i. e.* sponsus non lugetur a sponsa; ne putes sponso luctum remitti; Cum enim maritis luctus non injungeretur, Domitiana erat quæstio, an a sponso exigendus esset; Circa sponsam vero dubitari magis poterat, quia in multis juris articulis sponsa pro uxore habetur, quia consensus magis quam concubitus nuptias facit; quia sponsa sponso reverentiam debet, &c. unde legere alii malunt: **S P O N S A E.** Sed hæc emendatio male habet *Cujacium lib. 9. observat. cap. 17.* nec immerito.

§. 24. Quemadmodum vero subditorum est obedire jussis Imperantium, etiamsi nullam voluntatis, suæ rationem legislatores reddant; ita rationes legi additæ licet aliquando applicari satis commode non possint, vel earum veritas non ita evidens sit, legi latæ nihil obsunt; itaque licebit in rationes pro determinato luctus tempore afferri solitas modeste inquirere, non ut legi publicæ detrahatur, sed ut magis constet, inania esse quæ de lege naturali vel divina hic communiter jactari & credi solent.

§. 25. Primam rationem suppeditat *l. 11. de his qui not. infam.* vir solet elugeri propter **TURBATIONEM SANGVINIS**, quæ in *l. 53. §. 3. C. de Episcop. & Cleric.* ita explicat.



explicatur: Διὰ τὴν τῆς γονῆς ἀδηλίαν, propter GENERA-  
TIONIS (seu seminis) INCERTITUDINEM. Et in l. 8.  
§. 4. in fin. C. de repud. ne quis DE PROLE DUBITET.  
Græci vertunt: σύγχυσις τῆς γονῆς, CONFUSIONEM SE-  
MINIS. Nov. 22. c. 16. Eclog. Basil. L. 21. tit. 2. c. 5. & in Nov.  
22. c. 18. in fin. Διὰ τὸ ἔσπέρματ' ἀσύγχυτον, ut evitetur  
seminis confusio. Unde duæ rationes videri poterant  
hic separari debere: altera confusio seminis & quod abo-  
minandum esset ex duorum virorum semine commixto  
unam prolem generari, altera incertitudo prolis & dubi-  
um, utrum ex duobus patrem habeat. Prior a Medicis  
hodiernis constanter negatur, & infinitis experimentis re-  
futatur; non ex materia seminis corporali formatur fœ-  
tus, sed materia ista vehiculum est, quo chas seminale ad  
ovula penetrat eaque excitat, fovet & vivificat, unde post  
parvum tempus refluit liquor inutilis. Postquam itaque  
fœmina concepit, novus concubitus ad fœtum priorem  
nihil confert; sed quandoque licet rarius, superfœtatio  
evenit. Nulla itaque hic proprie dicta sanguinis con-  
fusio vel turbatio. Posterior ratio, uti per se nihil ad-  
versus legem naturalem vel divinam universalem infert,  
sed ad Gentium mores & leges civiles referenda est, ita  
pro anno integro nihil facit. Annon enim fœmina  
post menses quatuor vel quinque de imprægnatione  
certa esse potest? (quod si dicas, plures, quæ per tan-  
tum tempus prægnantes se esse crediderunt, deceptas es-  
se, at cedo unam, quæ quod per id spatium prægnan-  
tem se non esse putaverit, decepta sit.) Cur itaque plu-  
res menses expectantur, cum quandocumque deinde pro-  
les nascitura sit, determinari queat ex utro marito sit con-  
cepta? Et quid si paulo ante vel statim post mortem prio-  
ris mariti pepererit?





§. 26. Altera itaque ratio expendenda est: quod abortus ex intempestivo concubitu oriri queat. Utitur ea Havemann. in Gamolog. synopt. L. 1, Tit. 13. posit. 5. p. 162. Nec non Leges VVigotb. Lib. 3. Tit. 2. c. 1. apud Lindenbr. p. 56. verb. 3. quam idcirco mulierem præcipue huic volumus subjacere dispendio, ne hæc, quæ a marito gravida relinquitur, dum immoderato desiderio ad secundi conjugii vota festinat, spem partus sui, priusquam nascatur, extinguat. Valde vero dubito de hujus rationis veritate, eamque refellit experientia tum foeminarum cum maritis habitantium, tum meretricum. Add. Dn. Thomass. Dissert. Lips. VII. tb. 27. & 28. Notum est Popiliæ Poppeæ M. Agrippæ filia (ad quæstionem: cur mulieres gravida coitu delectentur, secus ac reliqua foeminei generis animalia) responsum: *quia reliquæ foemina bestia sunt.* Quod dicitur explicat Paul. Zachias in Quæst. Med. Legal. L. 1. Tit. 3. q. 3. n. 29. seqq. Sed ita, ut ejus defensionem suscepturi non simus.

§. 27. Tertia ratio est reverentia marito debita, cujus manes irasci penes Gentes creditum fuit, & quævis mala inferre ad subitas nuptias convolantibus; qua superstitione cum religione Ethnica ejecta, nihilominus aliqua ejus reliquia in Christianorum Imperatorum constitutionibus supersunt. vid. l. 1. C. de sec. Nupt. l. 4. C. ad Scutum. Tertull. & passim alibi. Sed hodie hæc ratio eatenus valet; ut levis animi indicium sit & scandalum pariat oblito conjugæ priori alterius statim amplexibus se tradere. Ord. Matrim. Elect. Sax. de 1624. ibi: daß etliche ih<sup>r</sup>er abgestorbenen Ehegatten allzuzeitlich vergessen und mit Ergerniß wiederumb zum Ehestand eilen. Wenn denn, solches der Erbarkeit und natürlichen Pflicht zu wider se. Et Ord. Prov. Gotb. P. 1. cap. 8. tit. 4. verb. Weil solches ei<sup>n</sup>ne



ne Anzeige ist sonderbare lieberlichen Gemüthes / und,  
daß man des ersten verstorbenen Ehegatten wenig geach-  
tet / auch mehr auff fleischliche Lust / als auff Erbarkeit,  
und Zucht in der Ehe sehe. „ *Uterius adhuc progressus*  
*Justinianus ex festinatis nuptiis conjecturam adulterii vi-*  
*vo adhuc priori marito cum posteriori commissi capit.*  
*Nov. 39. c. 2. princ.*

§. 26. Sed multa hic postulantur, quæ simpliciter  
concedi non possunt: Desiderium congressus (abstra-  
hendo a circumstantiis adulterii vel stupri) non crimen  
est, sed affectus temperamenti naturalis. Omnes homi-  
nes natura in pravum inclinant, neque integrior fama  
melancholici vel cholericis, quam sanguinei haberi de-  
bet. Tantum vero saepe est Veneris æstrum, cui ab ho-  
mine etiam integerrimo resisti non potest, quam imbe-  
cillitatem satis perspicuus Apostolus matrimonium fa-  
cit medicinam incontinentiæ tam virorum quam mulie-  
rum. Siquidem affectus hominis legibus humanis deleri  
non possunt, sed cohibendi sunt ne in actus legi divinæ,  
honestati publicæ & commodo civitatis contrarios erum-  
pant, & præstat iisdem quoad fieri potest, aliquid indul-  
gere, quam arctis nimis cancellis cohibitos ad furiosam  
eruptionem provocare & in rabiem vertere. Porro si  
tam eximia levitatis esset viduus vel vidua, non medi-  
um legitimum quæreret, sed clandestinæ libidini litan-  
do, voluptatibus obsecundaret. Neque adeo firma est,  
sed inanis præsumptio adulterii vivo priori conjugis pa-  
trati, nam ad conjugium properat, qui conjugis amisso  
extra matrimonium vivere non sustinet, neque sequitur  
plures simul appeti ab eo, qui alii post alium jungitur,  
quemadmodum neca successiva ad simultaneam polyga-  
miam argui potest. Aliud quippe est affectus sentire, ali-  
ud affecti-



ud affectibus morem gerere. Non spernitur conjux præ-  
mortuus, si alii nubatur, & inepta esset zelotypia & in-  
vidia morientis, si successori in thoro indignaretur; certe  
hoc supposito non major esset secundarum nuptiarum li-  
centia post elapsum terminum quam eo adhuc currente.  
Adde, quod sponsam interea fuisse nec olim nocuerit, *l. 10.  
de his qui not. infam.* nec hodie noceat, *Carpz. Jurispr.  
Consist. L. 2. def. 161.* annon vero æque contristabunt de-  
functum blanditiæ desponsatorum, sermones amatorii,  
oscula, amplexus &c. Quod vero sponsalia etiam illicita  
pronunciet *Carpz. d. l.* hoc clarius probandum erat; nul-  
libi enim prohibentur. Denique non semper levitatis  
conjectura ex nuptiarum festinatione peti potest, ubi ve-  
ro ea subest, res periculo non vacat, turpiorum remedio-  
rum hoc denegato in subsidium vocandorum.

§. 29. Neque adeo satis intelligimus quid sibi ve-  
lit *Jac. Gothofred. ad l. 1. C. Theod. de sec. Nupt.* hæc obser-  
vans: Additum hoc duorum mensium tempus (decem,  
nempe mensibus) a Theodosio M. non, quod vir do-  
ctus censebat, propter turbationem sanguinis, quasi ea,  
intra illud tempus timeretur: Neque quia id tempus,  
Christiani observabant ad anniversaria celebranda, ve-  
rum studio tantum REFRENANDÆ MULIEBRIS,  
LIBIDINIS, (virum doctum cujus meminit, *Conanum*  
fuisse putamus, qui *Comm. Jur. Civ. L. 8. c. 7. num. 2.* istam  
rationem operose adstruit) si enim per *libidinem* actus  
illiciti intelliguntur, ii denegatione matrimonii quomo-  
do refrænentur, non constat; si cupiditas saltem, ea  
prohibitione accenditur magis quam extinguitur, &  
cur anno præcise refrænanda erat, non decem mensi-  
bus, non biennio?

§. 30. An itaque potiores partes Juri Canonico defe-



deferendæ, & annon Apostoli autoritas legibus civilibus opponenda? Neutrum putamus. Apostolus neque exigit annum luctus, neque prohibet; non ejus erat intentio in autoritatem Legum civilium involare; *conf. Freber. de infam. L. III. C. 17. num. 15. Schilt. Exerc. ad ff. 10. tb. 38. Rittersbus. diff. Jur. Civ. & Canon. L. II. c. 4. Connan. Commentar. Jur. Civ. L. 8. c. 7. num. 4.* rationes annui luctus (idem de viduo per semestre lugente dicimus) quæ vulgo afferuntur, non semper veræ sunt, non universales, non ad rem ubique pertinentes; sed possunt aliquando valere, possunt aliæ subesse, quæ fortius stringant; & si nulla alia subesset, adest voluntas legislatoris rem in differentem determinantis. Merito itaque obsequimur Legi Civili non injustæ, licet neque necessitati morali innixæ, & qui cohibere stimulos nequit, ex dispensatione medicinam capiat.

§. 31. Superest, ut quæ fufius diximus jam brevibus positionibus repetamus: Luctus parentum, liberorum, cognatorum, Principis &c. non impedit nuptias nec Jure divino, nec humano. Luctus Uxoris viduum a secundis nuptiis nunquam arceat jure divino. Luctus mariti viduam *prægnantem* nubere non permittit jure divino, donec partum ediderit. Itaque Principi eo casu a dispensatione abstinendum. Prohibere debet Princeps, ne vidua, quæ forte prægnans esse potest, nubat, donec certum sit, prægnantem non esse. Vidua quæ prægnans non est, statim nubere potest Jure divino, modo in Domino. Tempus itaque luctus (excepto casu viduæ uterum gerentis) est indifferens Imperans in Republ. potest legibus suis actus indifferentes determinare & vel præcipere vel prohibere. Prohibitioni ejusmodi non recte opponitur permissio Juris divini. Legislator non tenetur rationes, quæ ad legem ferendam ipsum

D

per-



perpulerunt, aperire. Justæ itaqvè sunt leges, quæ tempus abstinendi a novis nuptiis determinant vel majus vel minus, prout Princeps ordini & bono publico convenire existimat. Conf. *Rittersh. diff. Jur. Civ. & Can. L. 2. c. 5. in fin.* Quod si vero videat imperans subditum unum alterumve legi observandæ parem vix esse, in dispensando difficilem non esse æquum est.

## CAP. II.

### *De concubitu alias licito, intra*

*tempus luctus.*

#### SUMMARIA.

- §. 1. Odium secundarum nuptiarum.
- §. 2. Modi impediendi immaturas.
- §. 3. 4. 5. Earum pœna quintuplex.
- §. 6. Infamia Jure Can. sublata.
- §. 7. An & reliquæ pœna cessent?
- §. 8. Jure Sax. cessat infamia.
- §. 9. Et amissio relictorum a marito.
- §. 10. An & deprecatio ecclesiastica?
- §. 11. 12. 13. 14. Quando vidua annum luctus impune negligat?
- §. 15. Ad quem maritum proles pertineat?
- §. 16. Alii neutri tribuunt.
- §. 17. Alii partui electionem concedunt.
- §. 18. Alii ad maritum presentem referunt.
- §. 19. Alii matris effato relinquunt.
- §. 20. 21. Nostra sententia.

#### I.

**S**ecundas nuptias non quidem prohibet Jus Civile & Canonicum, odio tamen habere vel centum loca ostendunt, vid. præ aliis Titulus in *Cod. & Decretal. de secund. Nupt.* ibiq; Interpretes & Commentatores passim.

*Neu-*



*Neyvenhan de Jure viduitatis membr. 3. sect. 17. lit. c. p. 149. seq.* Sed de his agere institutum non patitur: videbimus saltem de nuptiis immaturis, sive durante luctus tempore consummatis. Cumque ipsam prohibitionem & tempus luctus in *Cap. 1.* consideraverimus, hic de modis easdem impediendi & coercendi, nec non de earum effectu, & quando permittantur, dispiciemus.

§. 2. Impeditur matrimonium immaturum denegata proclamatione & copulatione sacerdotali, quam in rem plura exhibet præjudicia *Carpz. L. 2. Defin. 159. seqq.* Verum hæc subinde eluduntur, vel dissimulando tempus quo conjux obiit, vel hierologiam in locis exteris impetrando, cujusmodi circumventioni poenam legibus hodiernis impositam non reperimus; arbitrariam itaq; putat *Carpz. L. 2. Def. 162. n. 6. & in pr. Crim. Quest. 65. in fin.* eandemque indigitat *Orcinat. provinc. Anhaltina apud Schöpfer. de statu viduitat. mutato part. 1. c. 3. n. 27. & Statutum Noribergense apud Rittersbus. de differ. Jur. Civ. & Can. Lib. 1. c. 5. p. 51. verb.* Und wil ihm ein Rath nach Gestalt und Gelegenheit einer ieden Ubertretung ernstliche Straffe vorbehalten haben.

§. 3. Quantum ad poenas: In legibus Romanis invenimus l. Infamiam, Prætoris demum edicto introductam; anteriorum temporum poenas nullas deprehendimus, nisi quod ejusmodi vidua ex Lege Numæ Vaccam immolare tenebatur, & edicto prætoris Infamia tribuitur in *l. 15. C. ex quib. caus. infam. irrog.* ipsum edictum ex *l. 1. ff. de bis qui not. infam.* supra exhibuimus. Notantur vero infamia vidua, *l. 15. C. ex quib. caus. infam. irrog. l. 1. l. 2. C. de sec. Nupt. l. 4. C. ad SCtum Tertull. Novell. 22. c. 22.* quod ibi notissimi juris dicitur, licet in reliquiis Edicti Prætorii nihil de ipsa nubente habeatur. Sed edicto viduam cito

D 2

nuben-



nubentem comprehensam fuisse non obscure indicat. *d. l. 15. C.* deinde notatur qui eam uxorem ducit, *d. l. 15. C. l. 1. ff. de his qui not. infam.* modo (1.) sciens duxerit, *d. l. 15. C. l. 1. & l. 11. ff. de his qui not. infam.* ignorantia facti, non juris excusat, *d. l. 11.* (2.) modo sponte duxerit; qui jussu patris, qui in potestate habet, duxit, excusatur, *l. 1. ff. de his qui not. infam.* venia enim, qui obtemperavit, dignus est. *d. l. 11.* nec notatur, licet emancipatus eam retinuerit. *l. 12. ff. de his qui not. infam.* Tertio notatur pater nubentis, qui eam in matrimonium collocavit *l. 1. ff. de his qui not. infam.* sed & ei ignorantia facti non nocet. *d. l. 1. l. 8. ff. ne his qui not. infam.* Quarto denique pater ducentis notatur, si ab initio jussit vel passus sit, *l. 1. ff. l. 11. ff. eod.* Quod si pater ab initio passus non sit, sed postquam duxit, rati habuerit, non notatur, *l. 13. ff. eod.* Infamia ista inurebatur ipso jure citra Judicis sententiam, qua opus non erat, quia actus nec negari nec excusari ullo modo poterat.

§. 4. II. Vidua ad nuptias festinans amittit, quæ prior maritus ei suprema voluntate reliquit, *l. 1. C. de sec. Nupt.* quin & omnia quæ ex prioris mariti bonis jure sponsalium, (i. e. donationis propter nuptias, prout interpretatur Wiffenb. *ad autb. iisdem C. de sec. Nupt. vel pactorum dotalium*, uti vult B. Brunnem. *Comm. ad d. l. 2. C. n. 8.* res eodem recidit, nisi quis verba captaturus reticulas pandat) consecuta fuit, *l. 2. C. eod. Nov. 22. c. 22.* quæ ad defuncti descendentes & ascendentes, iisque, deficientibus ad collaterales primi & secundi gradus, demum ad fiscum delabuntur. *dd. ll.* An & reliqua titulo lucrativo inter vivos a marito acquisita? ita videtur, quia & post annum luctus nubens ea quoad proprietatem amittit, solo usufructu retento. *Brunnem. ad l. 3. num. 3. C. eod.*

§. 5.



§. 5. III. Talis porro mulier secundo viro ultra tertiam partem bonorum in dotem dare vel testamento relinquere non potest. IV. ex nullius extranei suprema voluntate neque hæreditatem, nec legata, nec fideicommissa, nec mortis causa donationes capit, quæ omnia ab hæredibus vel cohæredibus testamentariis vel legitimis vindicantur (ne in his, quibus correctio morum introducta est, fisci ratio habita videatur) V. ab intestato non succedit ultra tertium gradum. *l. 1. C. de sec. Nupt. Nov. 22. c. 22.* an vero cognatis ex testamento succedit ultra tertium gradum? negat Accursius, affirmat Wissenb. *ad l. 1. C. de secund. Nupt. p. 84.*

§. 6. Infamiam Jure Canonico sublatam esse certum est, *cap. 4. & 5. X. de sec. Nupt.* an vero & reliquæ poenæ? densum ex utraque parte stantium agmen cogi & myriades Autorum afferri possent, si chartarum spatium eos caperet, & nisi nobis incumberet magis quid dicendum videatur, quam quid alii dixerint, explicare. Putamus omnes istas poenas sublatas esse, quia prohibitio abrogatur, quod non obscure indicant loca ipsa, si recte inspiciantur.

§. 7. An vero Jus hodiernum poenas juxta infamiam reliquas respuat, alia quæstio est, quam salvo aliorum judicio itidem affirmamus. Add. B. Brunnen, *de Jure Eccl. l. 2. c. 17. §. 39. ibique Illustr. Stryck. in not.* Non opus est ut controversiæ, *an dispositiones Juris Romani in dubio hodie vim legis obtineant*, nos implicari patiamur; quemadmodum enim negantium sententia facili negotio defendi potest; ita hic breviori via disputabimus: Constantis opinio est in Causis matrimonialibus & religiosis Jus Canonicum Juri Romano præferendum esse; subest vero hic quæstio ad matrimonialia & negotia religiosa (cum luctus ad ultimam justorum funebrium perfectionem fa-



cere credatur) pertinens. Jus quoq; Canonicum prius in Germania quam Romanum receptum facilius assensum invenisse videtur. Neq; ad rem facit, quod summo Pontifici facultas legem Juri Germanico contrariam ferendi expresse denegetur. *Sächs. Land-R. Lib. 1. art. 3. infra.* Ista enim poenæ Juris Rom. ad Jus Germanicum non pertinebant, ne dicam de aliis rationibus hoc dubium facile tollentibus, de quibus forte in discursu, Quod vero plures Brucknero *in decis. Matrim. c. 15. n. 33.* allegati dispositiones Juris Civilis præferant Juri Canonico, id de prohibitione non de poenarum istarum sanctione intelligendum est. Eodemque referimus quæ disputat *Wissenbach. ad l. 1. C. de secund. Nupt. p. 85.*

§. 8. Sigilatim infamiam Jure Saxon. ob sexus imbecillitatem abrogatam testatur *Coler. Decis. Germ. 64.* idq; notius esse asserit, quam ut multis allegationibus egeat, *add. Schilt. ad ff. Exerc. 10. §. 38. Sed. Richter. Decis. 1. n. 39.* non aliter admittit, quam si exsoluta dispensationis poena consensum Magistratus Ecclesiastici obtinuerit. Mihi hæc limitatio non probatur, quia poenæ infamiæ in legibus nostris nulla mentio, quia gentes Germanicæ multo parciores sunt in irroganda infamia quam Romanæ; vid. *Do. Præl. Posit. ff. de his qui not. infam.* quia multa alia non leviora in honorem matrimonii admittuntur, &c. Aliam limitationem affert *B. Brunnem. de Jure Eccles. L. 2. c. 17. §. 38.* nisi adsit periculum turbandi sanguinis; nam ubi hoc sit, nec voluisse nec potuisse Pontificem adimere maculam, minus vero dare licentiam contra pudorem naturalem. Videtur Vir Beatus de infamia facti locutus esse, & hætenus cum eo omnino sentimus, cæterum quæ sit Pontificis circa infamiam potestas, ad nos non pertinet, putamus autem

tem





rem in arbitrio Principis esse infamiam juris etiam hoc  
casu substitutis aliis poenis respuere.

§. 9. Bona ad viduam Jure statuario devoluta vel  
ultimo elogio eidem a marito relicta irrevocabiler hodie  
acquiruntur, neque adeo quicquam amittit ob nuptias fe-  
stinatas neque prohibetur secundo marito quantum libue-  
rit, salva tamen liberorum legitima relinquere; ab aliorum  
vero hæreditatibus ne quidem luxuriose vivendo, nedum  
nubendo arcetur. *Sächs. Land R. L. 1. art. 9. in med. Ein Weib  
mag mit Unkeuschheit ihres Leibes ihre weibliche Ehre krän-  
cken / ihr Recht verleurt sie aber damit nicht / noch ihr Erbe.  
add. Berl. P. 4. Conclus. 31. sed non abs re fore putat Mev. ad  
Jus Lubec. P. II. Tit. 2. art. 12. n. 428.* admissionem portionis  
statutariæ in usum revocare ad continendos incontinentes  
tam viros quam foeminas.

§. 10. Deprecationem (seu ut vulgo, poenitentiam)  
Ecclesiasticam ob immaturas inscio Superiore initas nu-  
ptias injungi posse nulli dubitamus, incumbit enim omni-  
bus qui delicto aliquo scandalum Ecclesiæ præbuere. *Knorr.  
de Poenit. Eccles. cap. 5. n. 86.* neque velum matrimonii recte  
obtenditur, cum ipsum matrimonium hic actum illicitum  
constituat, *vid. Ord. Sax. Elect. & Gotb. supr. alleg.* interim  
cum honestiores habeantur ejusmodi nuptiæ quam stu-  
prum a vidua admissum, formula arbitrio judicis Ecclesi-  
astici erit temperanda. An vero remitti vel in multam  
converti possit hæc poenitentia, ad mores respiciendum  
est, tota enim ejus natura a prisca indole (certe si vulgi opi-  
nionem spectemus) valde deflexit, & aliquam poenæ ratio-  
nem ac famæ sugillationem involvere creditur, qua opi-  
nionem admissa solutio multæ vice ejus fungitur. At non  
sic ex prima Christianorum intentione, ubi deprecatio  
reditus erat in amplexus fraternos Christianorum, qui non  
exa-



exagitabant revertentem, sed ubi serio poeniteret, summo cum amore & gaudio recipiebant.

§. II. Sunt tamen casus, quibus tempus luctus impune negligitur: I. Si Princeps dispensaverit, quod soluta pecuniæ summa arbitraria & in singulos casus determinanda hodie solet impetrari, *add. supr. Cap. 1. §. 21.* II. Ob ignorantiam facti, *vid. supr. c. 1. §. 15.* quam non ipsi mulieri, sed aliis personis patrocinari putat *Rittersbus. ad Novell. p. 4. c. 3. n. 12.* sed rationem disparitatis non addit, neque aliquam indagare licet; ponamus maritum in remotissimis oris castra sequi & obire, v. g. mense Junio vel Majo; post duos vel tres menses literas obitum referentes cum testimonio mortis & sepulturæ (*Todten-Schein*) in manus viduæ pervenire, ubi ex errore scribentis positus sit mensis Januarius vel Martius, viduam itaque mense Februario vel Aprili sequentis anni ad nova vota concedere. Annon ista ignorantia eam excusabit? Cogitent alii. Mihi id omnino affirmandum videtur.

§. 12. III. Ob jussum Patris, qui habet in potestate, nam qui obtemperavit, venia dignus est. *l. 11. ff. de his qui not. infam. objicit Rittersbus. d. l. n. 14. 15.* in scelere filium non debere obtemperare, *l. 157. de R. J.* respondet vero in *d. l. 157.* requiri atrocitatem facinoris, quæ in immaturis nuptiis deficiat; has quippe non natura sed lege civili prohiberi &c. Est aliquid hæc responsio, sed eam premit *l. 66. de Ritu Nupt.* ubi si tutor pupillam contra leges ducat, vel filio jungat, uterque infamatur, sive filius sui juris, sive in patris potestate sit. Certe hoc casu nulla facinoris atrocitas, nulla turpitudine naturalis. Forte hic acerbius adversus filium tutoris sponsum leges animadvertunt, quod iste non possit non de intentione pupillam circa rationes defraudandi participare; at in præmaturis nuptiis nemo læditur, nec decipiendi  
proæ.



proæresis sed vel simplex obediendi propositum vel stimuli Veneris eas anticipasse videntur. Cumque casus *d. l. 66.* à nostra materia plane sit diversus, antinomix temere non fingenda, sed legislatoris arbitrio, qualem cuique delicto poenam præscribere velit, relinquendum est.

§. 13. IV. Si vidua paulo post obitum mariti peperit, & deinde nupserit, nihil contra legem admitti putat *Rittershus. ad Nov. P. 4. c. 3. n. 16.* quia hic cesset periculum turbandi sanguinis *l. 11. §. 2. ff. de his qui not. infam.* sentit cum *Rittershusio Ravard. L. 1. Varior. cap. 20.* putans elugeri ob sanguinis turbationem, lugeri ob reverentiam, eam itaque quæ peperit non teneri elugere per *d. l. 11. §. 2.* & ob cessantem rationem unicam, seminis confusionem. Sed dissentiunt plerique alii. *Wissenb. ad ff. de his qui not. infam. t. h. 19.* & in *Emblemat. Tribon. pag. 18.* item in *Commentario ad l. 1. C. de secund. Nupt. p. 82. Freber. de infam. lib. 3. cap. 17. n. 12. 13. 14. Nevenban. de privileg. viduit. membr. 111. sect. 17. p. 148. & sqq.* imprimis *Gutherius de Jure Manium lib. 3. c. 28. p. 578.* observat non advertisse *Ravardum*, in *d. l. 11. §. 2.* sermonem esse de iis, quos more Majorum lugeri non oporteret; & profecto ita videtur. Repræsentabimus verba *d. l. 11.* ex editione *Haloandriana: Si talis sit maritus, quem more majorum lugeri non oportet, non poterit tamen nuptum intra legitimum tempus collocari; prator enim ad id tempus se retulit, quo vir elugeretur, qui solet elugeri propter turbationem sanguinis; UNDE Pomponius eam, quæ intra legitimum tempus partum edidit, putat vel statim posse se nuptum collocare, quod verum puto. Non solent autem lugeri hostes vel perduellionis damnati, &c.* De solis iis, quos lugeri non oportet, sermonem esse, sponte ex ipsis verbis fluit. Si excipias *UNDE* in aliis editionibus non haberi, nihil lucraberis; antecedentia enim & subsequencia ostendunt, de iis, qui luctum non

E

meren-



merentur, sermonem esse. Cur itaque intermedia hæc Pomponii sententia generaliter foret accipienda? Certe rationes Legum (nam hic καὶ ἀνθρώπων disputamus) aliud urgent, reverentia quippe erga maritum defunctum, cujus manes novis certe nuptiis, quam omissione lugubrium magis contristantur & dehonestantur. *Conf. Nov. 39. c. 2. Nov. 22. c. 40.* Et si uxor adhuc virgo elugere tenetur, prout expresse disponit *l. 6. ff. de rit. nupt.* cur non teneatur ea, quæ peperit?

§. 14. Rectius itaque Rittershusius, *d. l. n. 17.* aliam limitationem restringit, nempe V. non transigendum annum luctus, si maritus lugeri non mereatur, modo uxor post ejus obitum pepererit vel certo constet eam gravidam non esse. Quod denique VI. alii volunt: si maritus permittat secundas nuptias, poenas cessare, id de immaturis non omnino verum esse satis evincit *Rittershus. different. Jur. Civ. & Canon. L. 2. c. 6. pag. 54. Freberus de infam. lib. 3. c. 17. n. 17. Nevvenhan. de Jure viduit. membr. III. sect. 10. p. 232. seqq.*

§. 15. Restat ut videamus, cui proles tribuenda sit, si vidua paulo post obitum mariti ad secundas nuptias prolapsa nono vel decimo mense pariat? Casum notatu dignum exhibet *Brückn. in Decis. Matrim. cap. 15. num. 42. 51.* Centurio in militiam cum uxore profectus in oppugnatione castelli & urbis Demmini in Pomerania globuli ictu trajicitur. Vidua vix septiduo post mortem mariti nubit Optioni, & octavo abhinc mense filiam parit, quam pater prioris mariti pro nepte ex filio agnoscere renuit. Ejusdem casus quoque mentio fit in *Dn. de Lyncker. Decis. 426.* ubi excerpta responsi Jenensis, quod integrum exhibet *Brückn. Decis. Matrim. in addit. ad cap. 15. pag. 520. 528.*

§. 16.



§. 16. Incertum hujus partus genus est, quem proinde alii aliis tribuunt: *Neuvenhan. de Jur. Viduit. membr. III. sect. 17. p. 152.* dubium hoc inextricabile vocat & recitatis aliorum sententiis iudicium suum suspendit. Alciatus eum neutri marito attribuendum atque ad neutrius hæreditatem admitendum passim disputat, eumque allegat *Wissenbach. ad Cod. L. 1. de secund. nupt.* hanc sententiam minime, uti videtur, improbens; sed partus tamen ex matrimonio quantum ad jus succedendi rato & legitimo prodiit, sive à priori sive à posteriori marito genitus; omnino itaque alterutrius hæres esse debet. Quod si dicas: non jus hic deficere sed probationem; videbimus annon probatio superfit.

§. 17. Alii, ut Albericus & Fernandez, in dicto responso Jenensi allegati, pluresque ab iis citati in dubio volunt, filium eligere posse hereditatem, quam velit, Patris primi vel secundi matrimonii; nempe cum Pater is præsumatur, quem nuptiæ demonstrant; hic vero uterque nuptiis designetur, eum videri patrem, quem favor filii magis postulat. Verum cum hic non fictio; nec vaga suppositio, sed certum & immutabile fundamentum, vera nempe generatio requiratur, quam factam vel non factam esse non ex electione nati, sed aliunde constare debet, neque per fictionem factum alterius alteri, qui nullo modo concurrat & ab omni imputatione liber est, tribui possit, præsertim in ipsius vel aliorum non contemnendum præjudicium; merito hæc opinio faceffere jubetur.

§. 18. Eorum opinionibus, quas *Bartolus Brücknero p. 525.* allegatus refert, ad faciei similitudinem, vel in cujus domo proles nata sit, attendendum esse, refutandis non immorabimur. Sunt qui pro *Marito presente* præsumunt, non adeo quia filius in ejus domo natus, quam quia ex eo matrimonio natus videtur, in quo mater jam vivit; pater



enim est quem nuptiæ (i. e. præsens cum matre conjugium,) demonstrant. Verum ne dicam de frequenti hujus regulæ abusu; ejus quoque determinatio de nuptiis PRÆSENTIBUS per se nullo jure nititur, & prolem quidem à suspitione originis adulterinæ liberat; inter duos vero legitimos maritos nec huic nec illi tribuit, certe neutri deneget, cum uterque per nuptias demonstretur.

§. 19. Descendimus ad sententiam eorum, qui, Matris asserto determinationem patris relinquunt, quam in rem Sfortia, Grammaticus, Afflictis, Alciatus, Paponius in sæpe citato responso apud *Brückner. p. 524.* producuntur. Sed & ipsam sua premunt dubia: pauciores mulieres conceptionis actum clare & distincte sentiunt; sæpissime falli experientia testatur, etiam quando per tempus diutius uterum se gestasse credunt; & lubricum est inniti soli assertioni mulieris lucrum forte ex avita prolis hæreditate ad se reditura sperantis; vel novum maritum, mentiendo prolem ex ipso conceptam, ad intensiorem amorem allicientis, quæve hic plures intercedere possunt circumstantiæ.

§. 20. Probabilior & securior ea videtur assertio, ex duobus maritis in dubio eum pro Patre infantis habendum, quem ordinarium nascendi hominis, nonimestre nempe tempus indicat. Quicquid enim de septimestri vel decimestri partu asseratur, (de quibus *Finckelthuf. in append. obs. 2.* *Ammann. in medicina Critica passim, Caranza, Zachias, Reies, aliique evolvi possunt*) nemo tamen negat ista tempora esse extraordinaria & à regulari naturæ cursu deflectere, in dubio vero, præsertim in rebus naturalibus pro tempore ordinario præsumendum esse. In dubio inquam, nam si infans plane immaturus licet per aliquot horas vivus post novem ab obitu prioris conjugis, septimo vero post



ro post secundas nuptias mense editus sit, verosimillime posteriori marito tribuitur.

§. 21. Hisce circumstantiis magnum momentum ex matris confessione accedit, quæ eo magis attendenda, quo pluribus dubiis causa involuta est, si v. g. paucos post conjugis obitum dies ad secundas nuptias convolaverit & nono mense pepererit. Dubiis, quæ ex §. 15. afferri possunt, resolvendis *juramentum matris* patrem proli assignantis sufficiet. Qui vero ulteriores movet scrupulos, cogitet, prolem nec ἀπίτορα esse posse, nec πολυπίτορα. Atque hunc in modam controversia sup. §. 11. recitata tandem sopita fuit, vid. Brückn. d. l. p. 528. ubi juramenti & sententiæ definitivæ formula.

### CAP. III.

## De Concubitu cæterum illicito intra tempus luctus.

### SUMMARIA.

- §. 1. Tractatio de stupro, adulterio, incestu huc non pertinet.
- §. 2. Stuprum voluntarium durante luctu commissum non recte equiparatur adulterio.
- §. 3. Vidua ob stuprum amittit forum & privilegia mariti.
- §. 4. An nobilitatem?
- §. 5. An infamis fiat?
- §. 6. An bona à defuncto percepta amittat?
- §. 7. Hic Jure Sax. variant sententia.
- §. 8. Hinc varia conciliationes.
- §. 9. Alia stupri pœna hic possunt exasperari.
- §. 10. Quando proles posthuma habeatur pro illegitima?
- §. 11. Quando pro adulterina?
- §. 12. De vidua alios actus luxuriosos admittente.
- §. 13. 14. 15. 16. 17. De vasallo viduam Domini stuprante.
- §. 18. De viduo scortatore.
- §. 19. Conclusio.





§. I.

**F**Rustra à nobis hic expectabitur tractatio de stupro, adulterio, incestu aliisque libidinis speciebus; ea omnia ex aliis legibus & commentariis præsupponimus; & si quæ observatu digna occurrerent, ad rem præsentem tamen non pertinerent. Solliciti saltem erimus de quæstionibus circa delicta carnis, quatenus peculiare jus in vidua vel viduo, qui durante luctus tempore iis se contaminant, producant.

§. 2. Stuprum violentum, cum ratione patientis, extra imputationem sit, nec viduæ intra annum luctus imputabitur. Voluntarium vero stuprum à vidua intra annum luctus admissum adulterio haut absimile putant nonnulli, vid. inprimis *Neuvenhan. de Jur. viduit. membr. III. Sect. 3. p. 223. Schrader. Tract. feud. P. 9. c. 2. n. 5. - - II.* quorum tamen rationes vel falsæ sunt, vel ad rem non pertinentes. Falsis annumeramus: Quod defunctus offendatur & contristetur stupro viduæ, quod vidua familiam defuncti mariti retineat atque in priori matrimonio stare censeatur &c. Impertinentes sunt: quod viduæ salvus maneat honor, dignitas, forum, domicilium & privilegia conjugis defuncti, quod & ipsa & qui eam polluit, perdant relicta à defuncto marito &c. Milie ejusmodi rationibus prævalet effatum Apostoli *Rom. VII. 3.* Et quamvis viduæ lascivæ adulterium in LL. German. passim tribuatur; *Leg. VVifgoth. L. 3. tit. 4. c. 7. & tit. 2. c. 1.* Item *Leg. Burgund. tit. 44. cap. 2.* contextus tamen ostendit, adulterium ibi improprie & promiscue pro stupro accipi. Neque aliter intelligo *Carpzovium*, quando de vidua intra annum luctus scortante adulterium prædicat in *Prax. Crim. P. 2. Q. 65. n. 37. seqq.*

§. 3. Vidua ob stuprum amittit forum & privilegia mariti; vide



ri; vide post *Clar. Tusch. Felin. Covarruv. Gail. Neuvvenhan.*  
*de jure & privil. viduit. membr. 3. Sect. 3. p. 225.* sive intra  
annum luctus sive post eum luxuriose vivat. De Jure vero  
Saxon. Communi vidua etiam honesta dignitatem & domi-  
cilium mariti nunquam retinet. *Landr. L. 1. art. 45. & Lib. 3.*  
*art. 45.* nach des Mannes Tod ist das Weib ledig von allen  
seinen Rechten und Ehren/dann sie behält wieder ihren Stand  
und Recht/das ihr angebohren war/ehe sie den Mann nahm.  
*Add. Carpz. P. II. Qu. 65. n. 54. Coler. Decis. German. 65.* sed ob-  
servarunt Juri Saxonici in *addit. ad Reinh. Differ. J. C. & S. P.*  
*6. diff. 10. & apud Zobel. P. 2. diff. 24. n. 3.* Consuetudinem hoc  
jus interpretatam esse de liberatione jurium matrimoniali-  
um, quibus vidua defuncto obstricta fuit; de privilegiis ve-  
ro & dignitatibus viduarum jus commune manere incorre-  
ctum. Interim certum est, nihil hic peculiare quoad an-  
num luctus statutum esse.

§. 4. An etiam Nobilitatem generis obfuscet stuprum, ut  
ejus privilegia amittantur? Legum Romanarum argumen-  
to affirmandum videbatur *l. 2. C. de sec. Nupt.* ubi ob nuptias  
intra annum luctus foemina probrosis inusta notis hone-  
stioris nobilisque personæ decore & jure privanda dicitur.  
Cum vero ista privatio nobilitatis fluat ex infamia immatu-  
ris nuptiis incumbente, quæ hodie cessat, propius argumen-  
tum quærendum est: stuprum infamat, quia crimen pu-  
blicum est. *l. 7. ff. de publ. Jud. §. 5. Inst. de publ. Jud.* infam-  
es vero à nobilitate & honoribus removentur. arg. *l. 8.*  
*C. de decur. ubi Dd. comm.* itaque stuprum à privilegiis No-  
bilitatis repellit: Eamque sententiam tuentur *Nolden de*  
*statu Nobil. c. 22. n. 135. seqq. Mejer. in Coll. Jur. Argent. ad Tit.*  
*de Rit. Nupt. tb. 20.* Certe si non ubique cohæret illatio, ita  
tamen fert opinio communis. Id quoque cogita: Infamia  
ob stuprum non infligitur nisi per sententiam condemna-  
toriam,



toriam, at hodie plerumque supprimuntur delicta carnis à personis melioris conditionis admissa; ita fert lascivia seculi.

§. 5. Ex dictis facile judicari potest de infamia, an ex stupro viduæ imminet? Per leges dicendum videtur quod sic. Sed imminet etiam ob stuprum post tempora luctus admissum, adeoque nihil peculiare hic obtinet, nisi quis contendat, stuprum hodie fere delictis privatis accenseri & principaliter agi ad interesse privatum; poenam carceris per octiduum accessorii instar se habere. Scortatores vix unquam excidere, imo admoveri sæpius dignitatibus & ineptum haberi qui infamiam hic metuat. Quam in rem *Freber. de infam. Lib. 3. c. 17. n. 18.* notat ex Barone & Bugnonio, in Gallia hanc infamiæ causam non obtinere. Eoque inclinatur *Schilt. Exerc. tb. 38.* Jure German. stupro infamiam juris non incubuisse. Huic sententiæ qui adstipulatur, fatebitur saltem viduam intra luctus tempora se prostituentem infamari: Licet enim Jus Canonicum nubenti infamiam remittat, ad supra tamen & congressus furtivos hæc remissio extendi non potest, & multum momenti id aggravandum delictum hic afferunt levis animus erga defunctum, incertitudo prolis, suspicio adulterii etiam vivo marito commissi. *vid. Nov. 39. cap. 3.* unde Interpretes quotquot inspicere licuit omnes uno ore asserunt, infamiam Jure Canon. in nuptiis immaturis remissam, in vidua luxuriosa non cessare. *vid. plures quos allegat Grænevveg. ad autb. iisdem C. de sec. Nupt.*

§. 6. Bona à defuncto marito accepta viduæ se prostituenti auferenda esse jure civili certum est. *vid. Nov. 39. c. 2.* ubi cum de partu ex stupro sermo sit, existimabat Scipio Gentil. *de secund. Nupt. c. 7.* stupro has poenas non præfiniri, nisi accedat partus; quasi eventus incertus magis quam ipsum delictum poenam mereatur; itaque huic Gentilis opinioni merito



rito contradicit *Wissenbach. ad autb. iisdem. C. de secund. Nupt. & viduam tempore luctus impudice viventem dotalitio excidere pronunciavit suprema Parisiorum curia apud Robert. rer. judicatar. L. 1. c. 13.* Cæterum quando mariti liberalitates amittere vidua dicitur, an dotem quoque amittat, acriter disputatur. Multos in utramque sententiam allegat *Neuvenban. de Jur. viduit. membr. III. Sect. 3. p. 224. seqq.* qui affirmativam amplectitur. Plures adhuc pro utraque opinione exhibet *Carpz. prax. Crim. 2. 65. n. 39. seqq. item Berlich. P. 4. conclus. 31.* qui quoad dotem & lucra non ex voluntate mariti, sed ex lege vel statuto debita negativam amplectitur, quæ quidem juri & rationi adversa, & objectiones Berlichii fragiles videntur *Mevio ad Jus Lubec. P. 2. Tit. 2. art. 12. n. 417. seqq.* Ipse tamen *Mevius d. l. n. 424.* fateri cogitur differentiam inter dotem & lucra statutaria. Atque ita videtur: dotem vidua impudica non amittit, quia dos lucrum non est, sed res uxoris propria. vid. pluribus hanc sententiam probantem & contraria diluentem *Wissenbach. ad ff. solut. matrim. tb. 23.*

§. 7. Ita jure communi; sed an Jure Saxonico lucra à priori marito percepta amittit; Res non minus dubia est, & nova Constitutione opus habere jam olim credita. *Berl. P. 4. Concl. 31. n. 18. Zobel. in addit. ad text. latin. Landr. L. 1. art. 5. Coler. P. 1. Dec. 176. n. 49. Modest. Pistoris, Thomingius, & nonnulli alii Berlichio d. l. Carpzovio d. 2. 65. n. 44. - 48. atque Theodorico Colleg. Crim. Cap. 6. d. 3. n. 124. seqq.* allegati affirmativam tuentur, in quam etiam Theodoricus inclinat. Negativam vero operose defendunt *Berl. d. l. n. 23. seqq. & Carpz. d. l. num. 49. seqq. 59. seqq.* qui dissentientium rationes quodammodo excutiant & prolixè probant, Jure Sax. nec dotem, nec donationem propter nuptias, nec Morgengabam nec Utensilia, nec cibaria (*das Mustheil*) nec viduæ à defun-



à defuncto marito legata, donata aliove modo relicta ob  
stuprum intra annum luctus amitti, innixi in primis textui.  
*Landr. L. 1. art. 5. verb. ihr Recht verleurt sie aber damit nicht/  
noch ihr Erbe.* Eamque in rem plura præjudicia in casibus  
etiam viduarum nobilium publice & vilissimis personis se  
prostituentium allegat Carpzovius. Contra viduæ nobili  
cum Juvene nobili impudice viventi *anno 1613. apud Theo-  
doric. Colleg. Crim. d. l. p. 788.* & viduæ ejusdem conditionis  
cum servo venatore rem habenti *anno 1680. apud Dn. de  
Lyncker. Decis. 444.* à Jctis Jenensibus jactura omnium lucro-  
rum nuptialium dictata, dos vero & reliqua bona ipsius pro-  
pria ipsi relicta fuere. Videmus adeo hanc quæstionem ad-  
huc dubiam esse, & Jenenses hodieque à Carpzovii sententia  
recedere.

§. 8. Varias vero hic applicant conciliationes: Scabini  
Saxonici ad annum luctus respiciebant, ut eum negligens vi-  
dua lucris excidat, ad post annum luctus stupro polluta ni-  
hil amittat. *Berl. P. 4. Concl. 31. n. 22.* alii aliter. Videtur in  
Saxonia Electorali Carpzovii, in Ducali Dissidentium o-  
pinio prævalere. Id vero observant: evitari amissionem, si  
vidua stupratori suo nubat, etiamsi statim post obitum ma-  
riti turpiter vixerit *Berl. d. l. n. 26.* ubi à Jenensibus sæpius ita  
pronunciatum ex Colero refert.

§. 9. Alias etiam stupri pœnas hic concurrere dubium  
non est, & imo posse exasperari. *Carpz. Pr. Crim. 2. 69. n. 42.  
seqq.* Putabatur in casu quem paulo ante §. 7. ex Dn. de Lyn-  
sker. *Decis. 444.* retulimus viduam ergasterio includi posse,  
verum hoc displicuit Jctis Jenensibus, qui mulctam dictare  
maluerunt, stupratorem vero ad biennium relegarunt. In-  
juriarum vero agere hæredes mariti defuncti non possunt  
adversus viduam, quia deficit animus injuriandi. Car-  
terum rhetorice dicitur *in Nov. 39. c. 2.* talem mulierem de-  
cies millics aliis castigationibus subjacere. §. 10.



§. 10. Cum vero rarius prodatur stuprum tanquam actus clandestinus, nisi indicio partus, binis verbis quo tempore pro illegitimo habendus sit, videbimus: Post mortem mariti initio mensis undecimi natum pro legitimo haberi omnes asserunt, quot vero dies hoc initium constituent, incertum est; alii diem vel biduum, alii quadrantem mensis, alii dies decem ei tribuunt, alii iudicis arbitrio relinquunt, qui aliquando juramentum mulieri deferre potest, & ita se gerere debet, ne vel honestati pudicarum matronarum detrahat, vel libidini & quæstui levis mulierculæ faveat. *add. Finckelhaus. in append. observ. 2. num. 59. 70. & Raucbb. qu. 24. n. 48. seqq.* ubi responsum Wittenbergensium notatu dignissimum. Id certum est, partum sub finem undecimi mensis pro legitimo hætenus habitum non fuisse, nisi forte plane extraordinariæ circumstantiæ exceptionem faciant, qua de re Medici dispexerint.

§. 11. Alia hac occasione enascitur, quæstio, quando proles, quæ post obitum conjugis concepta dicitur, vivente eo generata, adeoque adulterina censenda sit? v. g. maritus in exteris provincias concedens uxore hic relicta, dum post sex menses reditum parat, in itinere obit, sexto vel septimo post obitum mense filium parit, quam priori marito tribuere non potest, sed post compertum ejus obitum ex alio se concepisse asserit. Casum similem de viduo scortatore proponit *Ziegl. Decis. 13.* Viri cujusdam uxor decesserat *d. 31. Martii*, quarto vero Januarii anni sequentis viduus filium susceperat ex ancilla sua à se antehac vitiata; dubitabatur, cum 40. septimanæ nondum præterissent, annon viva uxore ancilla fuisset compressa? quæ res quidem eo minus dubii habet, quia partus post integros à viduatu novem menses editus erat, adeoque ordinarii nascendi temporis præsumptio ab adulterii suspitione ipsum liberabat: Quoad ca-



sum priorem vero magis ambigitur, siquidem enim pro ordinario partus tempore præsumendum sit, maxima erit pro adulterio conjectura. Salva aliorum sententia ad facti & personarum circumstantias attendendum videtur. v. g. an juvencula sit quæ parit, an partus satis perfectus, an casus fortuitus eum extruserit, quæ vita & conversatio cum stuprante per tempus prioris conjugii, quæ fama de utroque fuerit. &c. Hisce & aliis paribus cum ex recepta pragmaticorum opinione præsumtio benignior duriolem; & præsumtio quæ delictum excludit, præsumtionem quæ infert delictum, tollat, recte infertur, præsumtionem, quæ infert delictum majus, excludi per præsumtionem quæ minus infert, stuprum vero minuse esse adulterio nemo dubitat. Allegationes pro hisce enunciatis requiri possunt ex *Zieglero Decis. 13.* quo brevitatis causa Lectorem remittimus, supervacuum putantes multa huc transcribere. Ea tamen imprimis procedunt, si saltem mense septimo partus editus sit, semestris enim, nisi urgentissimæ circumstantiæ favent, non toleratur. Denique si non abfuerit maritus, & uxor intra legitimum tempus post ejus mortem pepererit, quantumcunque de adulterio sit suspecta, proli tamen id non nocet, sed pater est quem nuptiæ demonstrant. *vid. Gail. Lib. 2. obs. 117.*

§. 12. Diximus hætenus de vidua stuprata, vel meretrice, quæ aliorum libidini se substravit. Idem vero de viduabus, quæ actum stupro proximum, luxuriosam partium verendarum contrectationem patiuntur, asserendum putat *Newenban. de Jur. & privil. viduit. Membr. III. Sect. 3. p. 226.* quia & hi actus stupro proximi in ignominiam defuncti ejusque familiæ cedunt. Cui sententiæ non contradicimus, at dubitamus an proximo seculo hæc quæstio in judicium deducta sit. Porro & oscula libidinosa, bellaria  
pruri-





prurientium viduarum, easdem poenas inferre addit *Nebenban. d.l.* quia & hic in pudoris & verecundia leges peccatur. Imo ex solo multorum ad viduam aditu impudicam ejus vitam praesumi, licet nihil amplius probetur, & ex hac praesumptione poenis supra dictis eam subijci idem Autor non dubitat. Ohe! jam satis est! Non favemus libidini, sed favet seculum, quod priscam philosophiam de non admit- tendis osculis & conversatione (quam vocant) dudum rejecit.

§. 13. Succedit quaestio: an vasallus viduae Domini stuprum inferens feudo excidat? Certum quidem est, si concubuerit cum uxore Domini sui, Domino vivente beneficium amit- ti, *1. F. 21.* idemque procedere, si concubitus per actum il- licitum attentaverit, seu, ut Feudista loquitur, si concum- bere se exercuerit, vel cum ea turpiter luserit, *1. F. 5. pr.* At inde non sequitur, quod *Zassus, Schraderus, Rosenthal,* alii- que volunt Feudum etiam amitti, si cum vidua Domini concubuerit, siquidem textus *1. F. 21.* discrete requirit concu- bitum *vivente Domino,* nec Dominum cucurbitare dici po- test, qui post mortem ejus ad viduam accedit. *Add. Vultej. de feud. L. 1. c. 11. num. 31. p. 697.*

§. 14. Interim ob concubitus saltem intra tempus luctus cum vidua Domini peractum feudo Vasallum privari con- tendunt *Ludwell. Synops. Feud. cap. 16. p. 422. Struv. Syntagm. Jur. Feud. cap. 15. apb. 9. n. 9. in fin. Rhez. Comm. ad 1. F. 21. Baier ad Schnob. Disp. Feud. X. Ritter. Lucubr. Feud. c. 9. § 4. provocantes ad Rosenthal c. 10. concl. 27. n. 57. aliosque plu- res ab ipso allegatos. Quia (1.) suspicionem de se movet ad- alterii etiam vivo Domino commissi. Nov. 39. cap. 2. (2.) talis concubitus vergit in injuriam Domini, *Struv. d.l.* (3.) per- rationes eorum, qui ejusmodi stuprum etiam post annum luctus pro feloniam habent, inter quos praecipuus est *Schra- der. Tract. feud. P. 9. c. 2. n. 5. - 11.* cujus argumenta eo redeunt:*





viduam in priori matrimonio stare censer, quamdiu alii nupta non sit; & qui læditur vel offenditur adulterio mulieris nuptæ, eundem lædi & offendi stupro ejusdem mulieris viduæ &c.

§. 15. Limitat vero sententiam suam Schraderus 1.) nisi vidua Domini ad alia vota transierit, sive intra, sive post annum luctus, quia utroque casu uxor & pars familiæ Domini esse desinit. 2.) Si vidua, antequam Vasallus eam comprimat, luxuriose vixerit, sive intra sive post annum luctus vitam inhonestam egerit, quia utrobique privilegia viduitatis amittit, & ad secunda vota transeunti æquiparatur. Quod si vero Vasallus intra annum luctus cum vidua Domini etiam turpiter vivente illicitam consuetudinem habuerit, ipsum feudo privari, non quia cum Domini vidua concubuit, sed quia cum vidua etiam luxuriosa intra annum luctus consuescens infamia Juris afficitur, etiam hodie; infamem vero feudo privari.

§. 16. At contraria sententia, quod Vasallus etiam intra annum luctus viduam Domini comprimens feudo non privetur, placet *Dn. D. Titio* in *teutschen Lehn-Recht* / *cap. 26. §. 40.* contorta nimis & vero dissimilia judicanti, quæ ab Interpretibus in contrarium ex jure Romano afferuntur. Sentire cum eodem videntur *Dn. Coccej. Hypomn. Jur. Feud. Tit. 8. §. 7.* aliique omissa hac limitatione generaliter negantes, stuprum cum vidua Domini ad feudi amissionem sufficere, Cui sententiæ & ego lubens subscribo atque rationibus supra §. 14. & 15. adductis facili negotio satisfieri posse puto.

§. 17. An vero tunc vitium viduæ Domini illatum pro feloniam habetur, si ea præsentis Domini Mater est? affirmant plerique; limitat *Schraderus*: modo ad secunda vota nondum transierit; (quasi tunc mater esse desineret) Negat. *Dn. Coccej. in Hypomn. Feud. d. l.* Atque ita videtur, quia leges feuda-



feudales hanc feloniam speciem ignorant. Interim annus lugubris hic nihil speciale infert.

§. 18. Superest poena vidui intra tempora luctus scortantis, cui amissionem lucrorum nuptialium perinde incumbere ac viduae cum *Farinac.* statuit *Berl. P. 4. Concl. 31. n. 28.* sed glossas contrarias ad *Landrecht Lib. 1. art. 5. & L. 1. art. 31.* allegat, & plerique alii dissentiunt; *add. Neppenban. de Jur. viduit. membr. III. Sect. 3. in fin. p. 227.* atque ita, nempe maritum nihil amittere, pronunciarunt *Jenenses mens. Octobr. 1688. vid. Dn. de Lyncker Decis. 112.* ubi Gabriel & Sanchez in partes vocantur. *Zieglerus* etiam hanc quaestionem ex instituto pertractans *Decis. 13.* nullam hujus amissionis facit mentionem, quae neque fit in subjuncto responso, sed poena carceris per mensem vel multa ipsi imposita, & posse eum senatoria dignitate moveri, decretum, his verbis: *Hat eine Person des Raths in der Nachbarschafft der Stadt Colberg in Pommern seine Dienstmagd geschwängert / welche in der vierzigsten Wochen nach seiner Frauen Absterben darnieder kommen / und es hat sich gedachter Rathsherr allbereit anderwärts verehlichen / so ist er dieser seiner Verbrechung halber mit Gefängniß auff vier Wochen lang / oder einer ziemlichen Geld-Buße seinem Vermögen nach zu bestraffen / darneben aber die von ihm geschwängerte Magd ihrem Stande und Herkommen nach zu dotiren schuldig. Da auch der Rath ihn länger bey sich im Rathstul nicht dulden wolten / mögen sie ihn darinnen zu lassen wider Willen nicht angehalten werden. Certe videntur omnes rationes contra viduam militantes hic cessare. Maritus tantam uxori, atque haec illi, non debet reverentiam; uxor non ita dehonestatur libidine adultera mariti, ac maritus uxoris, quia gentium opinione uxore sub mariti, non hic sub illius custodia est, unde nec tanta infami-*





familiam defunctæ uxoris ex stupro vidui, quam in familiam defuncti mariti ex stupro viduæ injuria redundat. Nullum porro hic periculum sobolis adulterinæ in familiam inferendæ. Et quod potissimum est, leges viduæ hanc poenam injungunt, viduo tale quid nec olim incubuit nec hodie dicitur. Illaque stupri reus manet, non ob violatam conjugem præmortuam huic jacturæ incumbit.

§. 19. Hæc pro temporis & instituti ratione sufficient, quibus si Tuz, L. B. expectationi aliquo modo satisfeci, non frustraneum fuisse conatum meum, gaudeo; si vero quid novisti rectius istis, candidus imperti, neque enim in hac materia opinionem aliquam mordicus retinere juvabit, cum problemata plurima aliis atque aliis vero non dissimilibus sententiis solvi & soleant & possint.

Cogita saltem, humanum esse, ferre dissentientes in materia probabili; apodixin vero & pudendos errores hic jactare ineptum & absurdum.

S. D. G.













Leipzig, Diss., 1700/01

ULB Halle 3  
003 242 528



86

V.17











B. C. D.  
Annuentę Inclyto Jctorum Lipsiensium  
Ordine,

DISSERTATIONEM JURIDICAM  
DE

# CONCUBITU INTRA TEMPUS LUCTUS,

Hom Bepfchlaff in wahren=  
der Trauerzeit/

Sub Præsidio

*VIRI Pranobilissimi atq, Consultissimi*

DN. D. GEORGII BEYERI,  
*Præceptoris atq, Studiorum suorum*

*Promotoris atatem devenerandi,*

publico Eruditorum Examine  
add, XI. November. MDCC.

H. L. L. C.

exponet

CHRISTOPH. GOTTLOB FREYBERG,  
Stolp. Misn.

LIPSIÆ, Excudebat Christianus Scholvinus.

1 20  
33  
1700/11 9

